

a proprio et elicitu actu amoris non impentur. Sicut inter homines, qui beneficia confert filio amici, solum quia filius ejus est, verum opus amicitiae exercet, etiamsi tunc non eliciat internum actum amoris circa amicum, neque talis actus praecesserit, aut ad beneficium conferendum moverit. Ad tertiam, similiter respondeo, sicut opera sic facta sunt apta ad meritum, ita esse apta ad augendam gratiam, quia non augent illam physice, sed meritorie, et ad hoc satis est ut ab illa procedant, media aliqua virtute per se infusa, saltem ut referente et ordinante tales actus ad aliquem finem supernaturalem.

26. *Objectio.* — *Diluitur.* — Sed objici potest, quia hinc videtur sequi solum tribui hoc meritum actibus virtutum infusarum, et non moralibus actibus virtutum acquisitarum. Probat sequela, quia actus moralis si fiat ex motivo supernaturali, eo ipso est actus virtutis infusae, nam in hoc solum distinguitur ab acquisita; ergo si hoc requiritur ad meritum, solus actus infusus et non acquisitus erit meritorius. Respondetur ex dictis supra de virtutibus infusis, et ex probabiliori doctrina de specificatione honorum actuum humanorum, duobus modis posse voluntatem operari circa materias moralium virtutum ex motivo supernaturali: primo, ut illud motivum sit proximum, et constituens proprium formale objectum talis actus, qui etiam dici solet finis intrinsecus ejus; secundo, ut illud motivum sit tantum remotum, et non excludens proximum, sed illud ad se referat, tanquam ad finem extrinsecum. Dico ergo ad virtutes infusas morales pertinere elicere actus suos circa materias morales priori modo, et de his actibus locuti sumus in capite praecedenti. Nunc vero addimus posse virtutem infusam, intendendo suum proprium finem seu motivum, movere virtutem acquisitam ad operandum proxime et immediate propter honestatem naturalem, ordinando simul illum actum ad suum finem, sibi quidem proprium, extrinsecum autem actui virtutis acquisitae, sicut potentia infusa, verbi gratia, potest imperare actum eleemosynae etiam factum ex misericordia acquisita. Et hoc modo, servata distinctione inter actus morales acquisitos et infusos, dicimus ad meritum actuum acquisitorum, necessarium esse ut ex motivo supernaturali, non intrinseco, sed ut ex fine extrinseco fiant. Et in hoc, generatim loquendo, cum secunda sententia convenimus; differimus tamen, nam quod ipsa restringit ad

relationem charitatis, nos ampliamus ad omnem relationem supernaturalem, ac subinde ad relationem cujuscumque virtutis infusae; nulla est enim relatio supernaturalis, quae ad aliquam virtutem infusam non pertineat, quae fortasse non est contradictio, sed illius sententiae commoda explicatio, quatenus omnis supernaturalis affectus bonus virtute includit affectum et relationem charitatis.

27. *Corollarium: omnem actum pietatis in homine justo esse meritorium de condigno.* — Atque hinc inferimus non dari in homine justo actum ex vera gratia factum indifferenter ad meritum vel carentiam ejus, sed omnem actum pietatis in homine justo esse etiam meritorium de condigno. Hoc aperte sequitur ex doctrina data, nam si darentur aliqui actus sic indifferentes, maxime illi qui fiunt a justo, vel antequam eliciat actum amoris Dei super omnia, vel quando tanto antea praecessit, ut nec formaliter nec virtute in aliud opus influat; sed ostensum est hoc non impedire meritum talium actuum, sed in eis manere sufficientem proportionem ad meritum; ergo nunquam dari possunt hujusmodi actus indifferentes seu carentes merito in homine justo. Sicut etiam homo justificatus per sacramentum poenitentiae cum sola attritione, si statim faciat opera poenalia, vel misericordiae ex affectu poenitentiae, vere satisfacit de condigno pro reatu poenae temporalis, et illa censetur satisfactio amicalis (ut sic dicam), licet ex actu amoris non processerit, neque ille antecesserit. Sic ergo omnes similes actus erunt in tali homine meritorii de condigno. Et in peccatore, qui subito rapitur ad confessionem martyrii contingere potest ut justificetur per detestationem suorum peccatorum, priusquam actum dilectionis Dei super omnia eliciat, et tunc non videtur posse negari quin statim mereri incipiat, fortiter sustinendo tormenta ex affectu fidei; imo si ita moriatur sine formali actu amoris, quia memoriae non occurrit, erit vere martyr, non ex solo privilegio, sed ex proprio merito, obtinendo praemium martyrio debitum, tam ut est confessio fidei, quam ut est insignis actus fortitudinis, sive infusae, sive acquisitae imperatae ab affectu religionis aut fidei; nihil enim inter haec Ecclesia distinguit. Similisque inductio in aliis operibus fieri potest.

28. *Fides ne an charitas magis requiratur ad meritum.* — *Judicium auctoris.* — Ultimo,

ex dictis expediri potest dubium incidens de comparatione inter fidem et charitatem, quae illarum magis necessaria sit, magisque cooperetur ad meritum de condigno. Nam Altisiodorensis, lib. 3 Summae, tract. 16. c. unic., quaest. 1, dixit meritum prius et principalius a fide quam a charitate pendere; illius vero sententiam graviter reprehendit Bellarminus, lib. 5 de Justificat., cap. 13, in principio, quia non parum favere videtur erroribus haeticorum hujus temporis, et quia sunt apertissima Scripturae testimonia, quae potius charitati meritum tribuunt. Valentia tamen, dicta disp. 8, quaest. 6, punct. 9, solum dixit Altisiodorensis sine fundamento censuisse fidem esse principale principium meriti. Sed in verbis Altisiodorensis solum illud verbum *principalius*, sive *potius*, offendere potest, si absolute et simpliciter accipiatur; si vero tantum secundum quid, pie potest exponi. Si ergo in necessitate comparentur, quaedam aequalitas inter eas invenitur, quia, sicut non potest esse meritum condigni sine charitate, ita nec sine fide, et e converso. Si vero comparentur in actuali influxu per suos actus in opus meritorium, sic in rigore magis necessarius est influxus fidei, quia, ut ostendimus, sine actuali influxu fidei nullum est meritum, et valde probabile est non sufficere virtutalem influxum per actum praeteritum, sed requiri quasi formalem, per actum intellectus ad fidem pertinentem, qui duret quamdiu durat actuale meritum, quod inferius, tractando de continuatione meriti, accuratius expendemus; influxus autem charitatis per proprium actum a se elicitum, non est ita necessarius ad omne meritum, ut vidimus, vel saltem non est necessarius per actum coexistentem merito. Et in ipsomet actu fidei, et voluntate credendi hominis justi inveniri potest meritum de condigno sine interventu actus charitatis, saltem tunc existentis; e contrario vero in ipso actu charitatis non posset esse meritum sine actuali influxu fidei. Et ratio est, quia in suo esse magis pendet charitas a fide quam fides a charitate. Nihilominus tamen, si comparatio fiat formaliter in dignitate et valore meriti, sic, absolute loquendo, principalius pendet meritum a charitate quam a fide, quia a fide solum pendet, ut ab excitante et moraliter adjuvante ad ipsum actum; a charitate vero pendet, ut a forma dante vitam ipsi fidei et omnibus virtutibus, quae veluti ministrant charitati, et ideo ipsa est quae omnibus actibus dat praecipuum valorem meriti, ut infra

etiam de gratia dicemus, nam in hoc fere aequiparantur.

CAPUT XI.

UTRUM IN ACTIBUS INTERNIS VOLUNTATIS IMPERANTE ET IMPERATO SIT PLUS MERITI QUAM IN IMPERANTE SOLO; ET CONSEQUENTER AN ACTUS IMPERATUS HABEAT SUUM PROPRIUM MERITUM DISTINCTUM A MERITO ACTUS IMPERANTIS?

1. *Per se loquendo, actus voluntatis imperans et imperatus possunt in unum coincidere, non sic vero quando aliis potentiis imperat.* — *Vide auctorem in tract. de voluntario, disp. 1, quaest. 1.* — Haec quaestio similis est illi, quam supra de actibus externis tractavimus; nam, ut ibi advertimus, actus interior intellectus quodammodo eam proportionem servat ad imperantem, quam servat externus ad internum a quo procedit. Est tamen notanda differentia inter quemcumque actum elicitum a voluntate, et actus elicitos aliarum potentiarum, quae motioni voluntatis subduntur; nam isti actus exteriores nunquam fieri possunt voluntarie et libere, nisi per motionem et denominationem ab actu realiter distincto, et interius a voluntate elicitu. At vero actus elicitus a voluntate, ut voluntario ac libere fiat, per se non pendet ex alio actu ejusdem voluntatis realiter distincto, quia actus, elicitus a voluntate, per seipsum est intrinsece voluntarius, et virtutalem reflexionem includit, ratione cujus qui vult objectum aliquod, eo ipso vult velle, et qui amat, ipso amore vult amare. Nam si semper esset alius actus necessarius ad hoc voluntarium, vel procederemus in infinitum, vel sisteremus in aliquo primo actu non voluntario, a quo caeteri subsequentes haberent esse voluntarium, quod manifeste repugnat, ut latius traditur 1. 2, quaest. 6. Et simili ratione, quia actus internus elicitur a potentia libera, per immediatam habitudinem ad illam esse potest liber sine denominatione ab actu distincto. Quando ergo voluntas operatur, et quodammodo sibi imperat, voluntarie ac libere se applicando ad actum, non habet locum quaestio proposita, quia ibi tantum simplex actus intercedit; et ideo, sive consideretur ut directe tendens in objectum, sive ut virtualiter reflectens in seipsum, unicam bonitatem, libertatem ac moralitatem habet, et ideo unicum tantum meritum illi respondet.

2. *Saepe tamen intra ipsam voluntatem actus*

prædicti reipsa distinguuntur. — Præter hunc autem modum operandi habet voluntas alium, quo unum actum a se elicito vult per alium actum reflexum et realiter distinctum. Quamvis enim voluntas absolute non indigeat, ad amandum, habere alium actum quo velit amare, ut dictum est, tamen pro sua libertate et amplitudine potest id facere, si velit, quia unus actus bonus est objectum amabile, et ideo potest voluntas proprio et speciali actu alium velle, sicut potest velle actum intellectui vel alterius potentie. Quando ergo voluntas sic operatur, prior actus reflexus dicitur imperans, et actus volitus dicitur imperatus; nam hoc imperium voluntatis solum est motio efficax, qua potentiam applicat ad opus, et sic dicitur imperare fide intellectui, quia, volendo credere, efficaciter applicat intellectum ad actum fidei; hanc autem efficaciam habet voluntas primo et per se circa seipsam, et ideo quando, per unum actum volendi amare, se applicat ad alium actum amandi, tunc prior volitio est imperans, et amor est imperatus ab illa. Deinde præter hunc modum considerari potest alius modus imperii seu motionis voluntatis intra seipsam, per actus distinctos, qui non comparentur, tanquam actus reflexus et directus, neque unus sit objectum alterius, sed uterque sit actus directus, unus tamen sit intentio finis, et alter electio medii; nam inter hos actus est etiam naturalis quedam connexio, ratione cujus intentio movet voluntatem ad electionem, quia, licet intentio non sit formalis volitio electionis, nihilominus, si est vera et absoluta intentio, virtute includit volitionem mediorum, et ideo efficaciter ad electionem applicat voluntatem. Et hæc connexio potest inter actus internos aliquando reperiri, ut, si peccator efficaciter intendat expellere a se peccatum, et statim menti occurrat medium accommodatum illi intentioni esse detestari peccatum, statim ex vi illius intentionis sequetur detestatio, quæ etiam est actus elicito a voluntate, et potest immediate sequi sine alia volitione detestandi, quæ sit reflexa respectu detestationis, prorumpendo statim in actum detestandi, ex alio principio posito, quod voluntas, ad elicendum unum actum, non indiget alio actu, quo expresse alterum velit, quamvis non repugnet quin possit voluntas illum habere, si velit, quia ex libertate ejus pendet, et tunc conjungetur prior modus imperii cum secundo, quod nullum etiam inconveniens est.

Quocumque tamen modo id fiat, semper illa detestatio, prout voluntarie sequitur ex vi prioris intentionis, habet rationem electionis; sicut voluntas detestando vult detestari, ita virtute eligit illud medium. Unde etiam in hoc modo operandi, intentio habet rationem actus imperantis, et electio imperati, quatenus per intentionem voluntas efficaciter se movet et applicat ad detestationem seu electionem.

3. *Notationes.* — In hoc igitur operandi modo habet locum quæstio proposita; supponimus enim tam actum imperatum quam imperantem esse honestum, et fieri ex motivo aliquo supernaturali cum auxilio gratiæ. Unde etiam supponimus actum imperantem, qui est veluti principium et radix sequentium actuum, esse meritorium, quia in illo primo concurrunt dictæ conditiones, et quia si ille non esset meritorius, nec sequentes esse possent. Sicut si actus internus non esset meritorius, externus etiam esse non posset. Unde fit ulterius ut actus imperatus, quatenus ab imperante informatus, meritorius etiam sit, sicut de actu externo diximus. His ergo suppositis, quod inquirimus est, an in illo modo operandi totum meritum sit in actu interno imperante, et in imperatis etiam internis solum per denominationem ad illum, an vero singuli actus eliciti, etiam imperati, suum proprium et intrinsicum meritum habeant, ideoque majus meritum sit in actu imperante simul cum imperato quam in solo imperante.

4. *De quo sit quæstio.* — *Arguitur jam pro parte negativa ex capite libertatis, quoad utrumque modum imperii.* — Ratio dubitandi ex duplici capite oriri potest, ex libertate scilicet et bonitate. Primo ex libertate, quia in actu imperante et imperato, etiam internis, tantum est una libertas; ergo tantum unum meritum. Consequentia ex dictis supra de actibus externis satis manifesta est. Antecedens autem probatur, quia quando voluntas sibi imperat actum internum, non minus necessario facit actum imperatum, supposito imperante efficaci, quam faciat actum externum alterius potentie, supposito actu interno efficaci; ergo, sicut in actu externo non est libertas, ita neque in actu interno imperato. Antecedens probatur facile in priori modo imperii per actum reflexum, quia quod voluntas absolute vult facere, et potest, necessario facit, supposita voluntate efficaci; actus autem imperatus, etiam internus, est in potestate voluntatis multo magis quam externus; ergo, si ab-

solute vult illum actum, necessario facit illum ex suppositione talis voluntatis; ergo, licet uterque actus sit simpliciter liber, tamen utriusque libertas una est, quæ in primo actu est formaliter, in secundo vero per denominationem ab illo; ergo quoad hoc externo actui æquiparatur. In secundo etiam modo operandi invenitur similis necessitas, quando medium ad finem unicum et necessarium est, et ut tale consideratur, juxta doctrinam divi Thomæ communiter receptam 1. 2, quæst. 13, art. 6; ergo saltem tunc non erit novum meritum in electione, seu potius volitione talis medii.

5. *Arguitur item ex capite bonitatis quoad primum modum imperii.* — Altera pars de bonitate probatur imprimis de priori modo imperii, quia in actu amoris elicito sine formali voluntate reflexa volendi amare, una tantum est bonitas, sive ille actus consideretur ut est amor objecti, sive ut est amor seu voluntas suiipsius, quia utrumque est per modum unius tendentiæ ad idem objectum bonum; ergo etiamsi quis amet volendo amare per voluntatem reflexam, unica erit bonitas utriusque actus, quatenus ex utroque quasi integratur unica tendentiæ voluntaria in tale objectum, in qua illa realis multiplicatio actuum materialiter tantum se habere videtur, respectu bonitatis moralis voluntatis. Et confirmatur primo, quia in moralibus implicitum et explicitum æquivalent, si cum æquali cognitione et libertate fiant; ergo tam bonus est amor Dei, verbi gratia, seipso tantum voluntarius, quod voluntarium est quasi implicitum, sicut est æqualis amor explicite volitus per reflexum actum. Et confirmatur secundo; nam si in voluntate amandi et amore, quando sunt actus distincti, essent distinctæ bonitates, deberet esse major in actu imperante quam in imperato, quia ille est istius causa; ergo in voluntate amandi Deum esset major bonitas, ac subinde majus meritum quam in ipso amore Dei, quod videtur incredibile, cum amor Dei sit actus perfectissimus, et radix totius meriti; ergo signum est in utroque actu unam tantum esse bonitatem, scilicet amoris Dei, a qua et amor ipse et voluntas ipsius boni denominantur. Idemque est in similibus.

6. *Deinde quoad secundum modum imperii.* — De alio vero modo imperandi facile idem probatur, quia electio medii non habet bonitatem, nisi ex fine; ergo in illa, ut imperata ab intentione finis, non est alia bonitas ab

illa, quæ in ipsa intentione finis invenitur. Unde, etiam in malis actibus, non est alia malitia vel aliud demeritum in voluntate accipiendi ensem, vel egrediendi domo ad occidendum alium, quam sit in intentione efficaci occidendi illum. Unde ex hac parte non solum quando electio est necessaria unci medii, sed etiam quando est libera inter plura media, non videtur habere distinctum meritum vel demeritum ab intentione, quia non habet aliam bonitatem, vel malitiam ab illa. Quod si hoc verum est in electione medii exterioris, idem erit in actu interiori, quod simul est et electio et medium electum modo supra explicato, est enim eadem ratio. Et confirmatur tandem utraque pars, nam voluntas efficax æquivalet operi per illam volitio; ergo etiam voluntas efficax interioris operis seu actus æquivalet tali operi, et eadem ratione intentio efficax, quæ virtute saltem, vel in generali includit voluntatem medii, æquivalet illi, ac proinde quicquid ex tali intentione vel voluntate necessario sequitur, non auget meritum vel moralem bonitatem voluntatis. Cujus signum esse potest, quia, si voluntas volens, aut intendens efficaciter, extrinsecus impediretur ne actum imperatum eliceret, non minueretur meritum ejus, ut si Deus nollet concurrere ad eliciendum actum amoris Dei cum illo qui, ignorans impedimentum, efficaciter id vult, nihil minueretur ejus meritum, juxta illud principium, quod voluntas pro facto reputatur; ergo signum est actum imperatum nihil meriti addere.

7. *Assertio prima: actus elicito a voluntate, utrovic modo imperetur, habet distinctum meritum ab imperante.* — Nihilominus dicendum censeo in actibus internis, etiamsi imperati sint, esse proprium meritum distinctum a merito actus imperantis, et illi additum, dummodo actus imperatus aliquo modo supernaturalis sit, et ex gratia factus. Hæc assertio non traditur expresse a Theologis, quia punctum hoc distincte non disputant, quod ego viderim; videtur tamen ab omnibus supponi, quia de solis actibus externis proprie sumptis, id est, aliarum potentiarum a voluntate, negant habere proprium meritum quod addant merito voluntatis, et rationes quas afferunt non habent locum in internis actibus voluntatis. Unde supponunt veluti sine controversia internum actum voluntatis semper addere proprium meritum, etiamsi per alium imperatus sit. Illi vero Theologi, qui etiam ab externis actibus aliquod proprium meri-

tum non excludunt, multo magis et perfectius internis actibus imperatis illud tribuent. Probanda est autem assertio, ostendendo inesse his actibus illas duas conditiones libertatis et bonitatis, ad proprium meritum necessarias; nam si has habeant, de cæteris nulla est dubitatio, et ita de illis tantum difficultates objiciebantur. Assumptum probabimus, prius de actu imperato priori modo per voluntatem reflexam, postea de imperato per modum electionis ex intentione finis.

8. *Probatur assertio posita quoad actum imperatum priori modo, atque imprimis ex capite libertatis. — Triplex discrimen quoad libertatem inter actum imperatum internum et externum voluntatis. —* Dicimus ergo, in actu interiori imperato ab alio actu volitionis reflexæ, esse propriam libertatem ad proprium et distinctum meritum talis actus sufficientem. Probatur primo ex differentia manifesta inter actum internum et externum, quia actus externus non nascitur immediate ex potentia libera, et ideo non potest ab illa habere propriam libertatem, sed tantum per denominationem ab actu voluntatis. At vero actus internus, etiamsi imperatus sit, semper elicitur immediate a potentia libera, et ideo semper potest habere propriam libertatem per immediatam habitudinem ad illam. Deinde manifeste cernitur hæc differentia ex alia conditione voluntarii; nam actus externus nunquam est voluntarius seipso, sed tantum per denominationem ab actu voluntatis imperantis; actus vero internus, verbi gratia, amoris Dei, licet sit volitus per actum reflexum, nihilominus, cum fit, seipso et intrinsece est voluntarius, quia a voluntate immediate elicitur cum cognitione; idem ergo est de libertate. Denique ratio a priori esse videtur, quia actus externus, saltem humanus, per se ac necessario pendet ex actu elicitu voluntatis; at vero actus internus per se non pendet necessario ac per se ex actu reflexo imperante, sed a sola potentia immediate elici potest voluntarie ac libere, et ideo quamvis accidentaliter ei jungatur actus reflexus, suam libertatem non amittit.

9. *Instatur argumento jam posito in num.*

4. — Sed instare possumus argumento prius facto, quia ille actus est necessarius, saltem ex suppositione actus reflexi, et ideo non potest habere aliam libertatem, præter eam quæ est in actu reflexo. Unde non est satis quod ille immediate eliciatur a voluntate,

quia non elicitur ab illa nuda, sed ab illa, ut jam affecta priori voluntate reflexa, ac subinde non elicitur ab illa, ut indifferente, sed ut jam determinata ad unum; ergo jam non elicitur libere nova libertate. Igitur non recte infertur esse actum per se liberum, quia elicitur immediate a voluntate, quia non omnis actus voluntatis in se ac per se liber est, sed tantum ille qui est a voluntate nondum determinata. Et propterea etiam non recte sumitur argumentum ex alia conditione voluntarii, quia ab actu voluntatis elicitu non potest separari quin si intrinsece voluntarius, potest autem separari ne sit per se liber, ut patet in amore Dei beatifico, et aliis motibus voluntatis non liberis; et ratio est, quia actus est voluntarius solum ut est a voluntate, ut voluntas est, seu ut præcise habet potestatem appetendi, sive habeat illam determinatam ad unum, sive non, quæ habitudo et emanatio non potest separari ab actu elicitu voluntatis. At vero actus est liber per habitudinem ad voluntatem, ut indifferens est, seu ut cum potestate agendi habet expeditam potestatem non agendi, quæ habitudo potest separari ab actu voluntatis, ut etiam patet in amore beatifico, et in nostro etiam casu videtur separari, licet ex alio capite, ut videtur probare argumentum factum. Denique propter eandem causam parum referre videtur quod actus elicitus a voluntate, generaliter consideratus, per se non pendeat a volitione reflexa imperante, quia libertas actus non est consideranda in genere, sed in individuo, et consideratis omnibus hic et nunc præsuppositis ad actum, et in illam influentibus, ut in prolegom. 4 diximus. Sic autem considerando actum internum, quamvis per se non postulet actum reflexum, tamen cum de facto ex illius imperio fit, jam ita pendet ex illo ut non possit non sequi illo posito; ergo hic et nunc non potest habere novam libertatem.

10. *Dissolvitur argumentum in casu quo actus imperatus est posterior duratione quam imperans. —* Nihilominus verissima est assertio posita; ut autem difficultati satisfaciamus, adverte duobus modis posse intelligi voluntatem reflexam de actu interno, verbi gratia, voluntatem eliciendi actum amoris Dei. Primo, ut respiciat tempus futurum, et sit desiderium aut propositum postea eliciendi amorem Dei, vel in designato tempore, vel quamprimum possit. Secundo, ut voluntas sit efficax et executiva pro eodem instanti

pro quo habetur. In primo modo, facillime intelligitur libertas, et solvitur difficultas, quia, si desiderium illud non sit efficax per absolutum *volo*, sed per affectum *vellem*, ex illo non necessario sequitur actus desideratus, ut per se constat, et ideo, licet postea fiat instigante etiam illo desiderio, nihilominus libere fit. Potest autem illa voluntas esse absoluta et efficax de actione futura, quantum est ex parte propositi, et ex modo quo, in instanti quo fit talis actus, voluntas determinatur, ad eum scilicet modum, quo ad dispositionem justificationis propositum efficax mutandi vitam postulatur. Quamvis ergo talis sit voluntas amandi, nihilominus actus amandi, qui ex illa voluntate sequitur, est in se formaliter liber, quia licet, perseverante illo proposito, necessario sequatur actus pro suo tempore, si sit in potestate voluntatis, nihilominus semper est liberum voluntati mutare propositum, ac proinde, quando propositum exequitur, libera voluntate illud facit, non minus quam si propositum non habuisset. Nam qui facit votum, efficax propositum habet implendi illud, et nihilominus nova libertate illud implet.

11. *Diluitur deinde in casu quo non est posterior, idque tripliciter. —* Difficultas vero est, quando voluntas amandi, verbi gratia, est pro statim, ut sic dicam, ac proinde est determinans voluntatem ad eliciendum in eodem instanti actum amoris. Et tunc imprimis dico probabilissimum esse nunquam voluntatem id facere per actus realiter distinctos, quia cum efficientia actus amoris tota sit a voluntate, et sit in immediata potestate ejus, non melius potest efficaciter velle pro hoc instanti amare quam statim amando; et cum, amando, sufficienter velit amare, superfluum est, ac proinde secundum modum connaturalem impossibile, aliam voluntatem amandi distinctam simul habere, quia natura abhorret quod superfluum est, et (ut aiunt) frustra fit per plura, quod sufficienter fit per pauciora. Et certe non facile intelligitur quomodo possit voluntas tunc velle se applicare ad amandum per actum distinctum, cum illa non indigeat tali applicatione, cum immediate habeat in sua potestate applicare se eliciendo immediate ipsum actum amoris; quapropter velle efficaciter pro hoc instanti amare, nihil aliud esse videtur quam ipsum amare. Quod si quis contendat posse voluntatem simul ad majorem

rem expressionem sui affectus (ut sic dicam) illam formalem voluntatem amandi habere, volendo simul amorem per expressum actum, non est necessarium concedere illam voluntatem esse priorem et imperantem amorem; sed potius amor videtur esse prior, et alia voluntas ordine naturæ posterior, quia non habetur ad determinandam voluntatem ut amet, quia ad hoc superflua est, ut dixi, sed, si habetur, est ad complacendum magis expresse in ipso amore, tanquam in bono præsentem, et ita supponit illum tanquam objectum præsens. Et tunc optime intelligitur propria libertas utriusque actus, quia neque amor est a priori voluntate, sed immediate a voluntate indifferente, neque ex amore sequitur necessario illa voluntas, quia solum potest comparari ad illam, ut objectum movens, non necessitans. Quod si quis tamen contendat, etiam in eodem instanti posse voluntatem incipere a volitione amoris, et per illam quasi se excitare et cogere ad amorem, quamvis non videam quomodo id persuaderi possit, nihilominus, etiam illo posito, dicendum esset utrumque actum esse vere liberum, quia, licet amor necessario sequatur posita illa voluntate, ut natura priori, nihilominus necessario antecedit cogitatio utriusque actus, et connexio unius cum alio, et ideo quando voluntas se determinat ad unum, simul se libere determinat ad utrumque, quamvis cum ordine eorum inter se, et ideo semper manet integra libertas utriusque actus, quia, licet secundus videatur necessarius ex suppositione, tamen suppositio est libera, et non est libere volita, nisi ut habens connexionem cum altero actu. Atque ita ex parte libertatis semper in utroque actu sufficienter ad proprium meritum invenitur.

12. *Probatio cepta in num. 8 progreditur jam ex capite bonitatis. — Et quoad prædictum caput solvitur etiam argumentum num. 5. — Ad primam confirmationem. —* Altera vero pars de bonitate facillima est; supponimus enim actum directum seu imperatum ex objecto esse honestum, et bonum, aptumque ad meritum, qualis est actus amoris Dei, vel alius similis; sed ille actus non amittit bonitatem quam haberet per se, et sine alio imperante factus, non, inquam, amittit illam eo quod per actum reflexum imperetur, quia non amittit, nec mutat suam speciem, cum circa idem objectum versetur. Deinde actus imperans etiam est bonus, quia habet pro objecto